ELISEVS AVRIMONTANVS Defenſus.

AVTHORE
IOANNE ANTONIO CARNIOLO.

ANNO DOMINI,
M. DC. XXXIX.

ELISEVS AVRIMONTANVS Defenſus.

DIfficile eſt in excellenti fortuna ferre monitorem; longè difficiliùs, vbi perperam egeris, conſideratè loqui; neque te in ipſa excuſatione accuſare. De altero nihil nunc attinet dicere, nec quemquam accuſo. primum illud duo Gedanenſium ad Epiſtolam Eliſei Aurimontani reſponſa firmant, quorum vnum *Reſcriptor* quidam *Anonymus*, aliud *Iuſtus Patricius*, pari animo, diſpari ingenio produxit. Quia verò hucuſque ſilet *Aurimontanus*, ſiue ipſorum Reſponſiones luctatione minus egere opinetur, ſiue infra calamum ſuum ponat verborum pugnã, ſiue deditâ operâ eas defugiat quæſtiones, ad quas magnâ vi aduerſarius nolentem compellit: idcirco dabimus id officij amico veteri, vt bina Reſponſa aduerſus Epiſtolam eius edita, quæ quidem hactenus videre licuit, paulisper excutiamus. Ac primum quidem te alloquor, mi Reſcriptor Anonyme, N.1.
(nec aliter à me deinceps appellabere) laudoque ingenium in te non omnino hebes nec incultum, qui nullum tibi ſumere nomen voluiſti, vt tanto ſecuriùs alieno luderes in nomine, quantò proſpectiùs ne in tuo ludi poſſet, cauiſſes. Ita namque poſt Epiſtolæ tuæ exor-

dium loqueris: *Ipse mi Aurimontane, quod nominis te inde sumpsisse autumo, quia ab hac opera tua præstita auri montes tibi pollicebaris.* Nec sanè ineptè ariolaris. quis etenim sibi non persuasisset, Aurimontanum pro tam sincera & fideli vobis locata opera, si non *auri*, meritò certè (liceat sic loqui) *beneuolentiæ montes*, saltem à te homine vt apparet non impolito exspectare potuisse, nisi vos adulationum aut vestri quàm veritatis amantiores fuissetis. Sed dum multum te defatigas mi Anonyme, & nimis sublimè circa Aurimontani NOMEN specularis, à sensu mentis abstractus, ad GRAMMATICAM (vbi quidem de NOMINIBVS aliàs agi solet) dilapsus es, atq; ibi inter Ludimagistros & ipsorum pueros consedisti, propositique oblitus tui, non quid Eliseo respondendum, cogitas; sed NOMINVM & VERBORVM *constructiones* examinas. Vt vero de Elisei stylo honorificentius detraheres, vafro consilio dubiaque vt reor arte encomia præmisisti. *Encomio*, inquis, *quod passim tibi tribuitur argutæ latinitatis nihil detraham, quamuis puer quidam scrupulosior è quarta classe nostræ Marianæ conqueratur se scandalum passum Grammaticale ab ista locutione tua VRBIVM TIBI NON INFERIORVM EVENTV;* quàm bellè encomium illud cum pueri, vt tecum loquar, *Grammaticali scandalo* conueniat, tui sit iudicij. Nobilis ille nostri æui Grammaticus Gerardus Ioannes Vosius in magno illo suo opere ante trienniū Ambstelrodami edito lib. 7. cap: 16. de Constructione: *Intolerandi*, inquit, *supercilij res est velle latinitatem metiri*

tiri

tiri non classicorum scriptorum consuetudine, sed iudicij sui ratiunculis. tu vero mi Anonyme, etiam *puerorum*, cui iudicio ferme carēt, *offensiūculis* eam æstimare es ausus, varijs ea propter censuris notatus. Lucas Piotrouius N.2. primarius Vniuersitatis Cracouiensis Grammaticus, vt pote cuius solius de ea arte præcepta typis edita publicè in classibus eiusdem Vniuersitatis præleguntur, vt primum Epistolam tuam conspexit, in eaque iudicium hoc tuum legit, arrepto calamo eidem hæc verba è vestigio adscripsit. *Pessime sunt meriti Gedanenses de Grammatica, dum Latinum eumq́ optimum loquendi modum scandalum dicunt esse Grammaticale, quo etiam nobilissimi sunt vsi authores.* Plinius lib: 3. Naturalis Hist. cap: 16. *Padus nulli amnium claritate inferior.* Salust. lib: 2. Hist. *Ea continentia vir grauis & nulla arte cuiquā inferior.* Sed & eandem latinitatem probari inuenies apud Vossium lib. & cap. citato, aut si mauis antiquiores, apud Ioannem Scoppā Neapolitanū lib. 3. & lib: 5. Venetijs, Anno 1534. edito, apud Despauterium de IV. Grad. comparat. apud Thomam Linacrum Britannum de emendata structura latini sermonis lib: 3. Basileæ cum Epistola commendatitia Philippi Melanthonis anno 1553. impresso, & denique apud omnes ferme Grammaticos quorum generalibus etiam regulis hunc latinum loquendi modum afferentiū totas acies in chartam educere & explicare sicut etiam aliqua Latinitatis. *Scandala è Responsoria* tua colligere liceret, si

nugari liberet. Sed nobis non vacat eſſe tam diſertis, qui Muſas colimus ſeueriores. Vides quàm periculoſum viris ſit ad puerorum ludos deſcendere, alius inuentus eſt, qui ea quæ de *puero quartæ claſſis* ſcribis exiſtimarit non *de puero* ſcripta eſſe, ſed *à puero*. Prætereo aliorum cenſuras, ne me addere exiſtimes. Verùm indulgendum aliquid ætati eſt. excuſo puerum. Nil mirum ſi *puer* quiſpiam *quartæ claſſis* veſtræ *Marianæ* eam latinitatem non intellexerit, cùm & in prima atq; ſuprema ſcholarum veſtrarum claſſe quandoque barbati Grammaticam vix totam intelligatis, quod vel tuo exemplo elucet, qui haud paulò quàm puer doctior, hæc tamen ignoraſſe videris. Sed & te excuſo. Neq; velim exiſtimes te ideo à me inter malos Grammaticos numerari; nam iuxta Quintilianum (lib.1.In-
3. ſtit: Oratoriar. cap. 13.) *inter virtutes Grammatici habetur aliqua neſcire*. Vt vt tandem ſit, mi Anonyme, ſi animi mei ſenſum penitus introſpicere cupis, in ea verſor ſententia, te haud errore ſeductum, ſed prudenti ſolertiâ in hos Grammaticales ſcopulos atq; conſultò impegiſſe, velut ingenioſus Orator, qui vbi in aduerſario maiorem vim aut eam dicentis materiam intuetur, quam multum ventilare non ſit conſultum, eam iocorum feſtiuitate & quibuscunque poteſt digreſsionibus eludit, atq; hanc vt de te quoque caperem opinionem, tum me induxit captioſa tua verborum citatio, dum ab Aurimontano vſurpatam loquendi for-

mulam

mulam ſubdolè nec integrè refers, tum conſideratum
iudicium tuum, candorque alicubi & ſagacitas inge-
nij, quâ in Reſponſione tua ita prudenter ſtylum mo-
deraris, vt quæ negare non potes ingenuè fatearis, fa-
cetè alia, alia cautè & obiter pertranſeas, multa ſilen-
tio abſoluas, nonnulla extra propoſitum in rem tuam
ſapienter immiſceas, in pleriſque fermè alio deflectas:
Simul tamen & reſpondiſſe videaris, & vlteriorem con-
certationi occaſionem ſubmouiſſe; adeo vt laudan-
dum te magis cenſeam quam confutandum. Quam-
obrem etiam amplius te haud morabor. Quæ com-
memoras *maioris eſſe ponderis quod alius iudicio matu-
rior* (agnoſcis tua verba) *pompam verborum ſegregans
has ſolum primarias Propoſitiones ex toto ſcripto eruerit.
Dantiſco imminet interitus quia Dantiſcus prædixit, quia
ALIQVÆ VRBES arma capientes exciſæ*, ea iam
IVSTI PATRICII fecundius ingenium refuta-
uit; qui non tantum LONGVM CATALO-
GVM VRBIVM aduertit, verùm etiam plures
propoſitiones eruere potuit, quàm ei Aurimontani E-
piſtola ſuggeſsit. Quod verò *augureris* Eliſeum Epi- 4.
ſcopi verſibus ſuos *miſcuiſſe*, vanus es extiſpex mi Ano-
nyme, melius hinc credo quilibet mecum atque cer-
tiùs conijciet, te vel in iudicio de verſibus pronuncian-
do planè nihil pollere, vel quod opinari malim, Ioan-
nis Dantiſci Siluam Bononiæ editam, aut alia eius
ſcripta poëtica nunquam vidiſſe. Liber Fridewaldi, ex
quo

quo idem vaticinium paucioribus verſibus refers, mihi ignotus eſt, nec inquirere aut noſſe meâ intereſt, qui non Fridwaldũ contumelioſè tuo iudicio in Gedanenſes ſcribentem, ſed Aurimontanum, amicè iudicio complurium, eoſdem monentem defendendum ſuſcepi. Atque vt non ægrè tibi conceſſerim Frideualdum *virulentiſſimo animo in contumeliam Gedani (vt tu aſſeueras) & Magiſtratus librum ſuum edidiſſe*, ita in ijs quæ ſubiungis, iudicium deſidero, quod ſatis alias in te perſpicax malignior in Præſulem affectus hic non nihil turbauit. *Nec enim*, inquis, *Fridualdus verſibus Epiſcopi ſuos addidiſſet, ſi Præſulis Poema tanto feruore & prolixitate ſtomachum & maledicentiam ipſius expleuiſſet.* Enimuero mi Anonyme, eandem quoq; ob cauſam nullos addidit, ſed ademit atque plurima omittendo, longius pòëma in compendium coarctauit, quod nimirum minus occupato iudicio facillimè notaſſet, reliqua omnia Epiſcopi carmina non *maledicentiam explere*, (alias ab illo non fuiſſent omiſſa) ſed paternæ admonitionis beneuolentiam continere, quod autem officio & propoſito ipſius incommodabat, cui etiam acriora ex Epiſcopi carmine vnicè & diligenter ſelecta, nimis adhuc benigna viſa ſunt, vt ea alicubi non nihil immutando acueret, videlicet vbi apud Epiſcopum:

Eſt breue tempus adhuc ſi non peccata relinques,
Hoc quibus exundas tempore fracta rues.

apud Fridualdum legitur:

Eſt bre-

Est breue tempus adhuc veteris imaq; summis
Iungentur, præceps & miseranda cades.

Episcopus adiungit conditionem *si non peccata relinques.* Fridewaldus Ciuitatem sine vlla conditione vult perire, & pro eo, *si non peccata relinques,* ponit *veteris, imaq; summis iungentur.* Persimili modo vbi Episcopus:

Externis tunc præsidiis frustrata manebis,
Diuitiisq; tuis despoliata gemes.

Fridevaldus:

Externis tunc præsidiis frustrata iacebis
DIRVTA diuitiis & spoliata gemes.

Episcopus vrbem diuitijs suis despoliandam ait: Fridwaldus, non tantùm eam despoliari cupit, sed & dirui. Quare non est mi Anonyme, cur circa asserendam Fridwaldianam editionem multum desudes; non difficulter enim sententiæ tuæ, si tibi ita videtur, assensum nostrum sumus accommodaturi.

Deniq; quemadmodum *valde probas,* quod Aurimontanus Io. Dantiscum Episcopum *profuse* vt tu lo- 5.
queris, *laudibus obruerit,* tametsi me iudice, non pauca taciturnitate celarit, ita tuam vicissim probo doctrinã Aurimontanum dilucidè instruentem, dum ais: *Quod verò subditorum titulum nos fastidire arbitraris, errare te scito. Nam esse Gedanum Ciuitatem Regiam, & nos Regis Augustissimi Capitis Reipublicæ Polonæ subditos nostra cum gloria profitemur.* Non luculentiorem circa hac explanationem visa est Aurimontani

montani Epiſtola, deſiderare mi Anonyme, quæ non tam auara & vocabulorum tenax fuit, vt nullo planè modo Ciuitati veſtræ nomen LIBERÆ concedi voluerit, cum id, vt infra videbis, etiam viliſsimis poſsit oppidis indulgeri, ſed de perfecta libertate diſſerebat, cum qua SVBDITORVM nomen conſiſtere nequit, quæ nullum Dominum quia nullum *dominium*, ſed tantum *patrocinium* admittit, & de hac aiebat Aurimontanus ſe in iuuentute ſua communiſsimâ Ciuitatis famâ falsò edoctum fuiſſe, nimirum Gedanum ciuitatem liberam nequaquam POLONORVM DOMINIVM, SED TANTVM PATROCINIVM SVBIISSE. Tu verò mi Anonyme hæc tacita relinquendo, Teutonicarum ciuitatum collationem cum veſtra auidè arripis, de qua aſſeueranter Aurimontanus dicebat nihil, tametſi eam ad ſupra memorata de Gedano faciliùs credenda olim non parum roboris addidiſſe ſibi fateretur. Verùm & in hac Teutonica libertate Ciuitati veſtræ, quacunque potes arte & conatu commodanda à prudentia tua non diſcedis, dum rem totam pro ingenij tui dexteritate minimè in æquilibrio pendere contemplatus, nihil de ea temerè Gedano attribuis, ſed ſolummòdo *an non aptè cum ciuitatibus Teutonicis æquiparetur*, modeſtè alteri iudicandum ſubmittis, quam tuam moderationem laudo, & iam ad alterum pergo.

IVSTI PATRICII RESPONſio excuſſa.

INnoxiam Eliſei Aurimontani Epiſtolam tantâ modeſtiâ ad Gedanenſes ſcriptam, vt honorificentiſsimè ſemper in ea Senatum populumq; compellaret, præclara ciuium elogia ſubinde interſereret, neminemque illorum, vel minimum vllo indecenti verbo vulneraret: tam innoxiam, inquam, Epiſtolam, quidam nihilominus PATRICIVS, atque is IVSTVS, pro ſingulari ſcilicet *Iuſtitiæ* ſuæ ac æquitatis ratione, & cultiſſimis moribus, videlicet *patriciis*, non tantum CALVMNIAM (parum illi hoc viſum eſt) ſed ATROCITATEM CALVMNIÆ, QVÆ OMNES (Eliſei) EPISTOLÆ PARTES INQVINET, præter alia è triuio conuicia, impudentiſsimâ linguâ, & calamo omnis ciuilis politiæ ignaro, in Reſponſione ſua nominare non erubuit. Age vero N.6.
mi Patrici, vt mitius tecum agam, indaga, inueſtiga calumnias, apud te illas, non apud Eliſeum inuenies; lege & relege Epiſtolam, vix alia in tota ſcriptione ab eo aſſerta deprehendes, niſi quod Gedanum *pauciſſimis retro ſeculis vicinarum ciuitatum maieſtatem nouis*

opibus extinxerit. Quod ſubditorum nomen multis Legationibus, magnis precibus, & ſi hiſtoriæ credendum ſit, etiam lachrymis à Poloniæ diu tergiuerſante Rege emerit, quorum alterum felicitatis eſt, vtrumque veritatis, vt infra oſtendam, neutrum calumniæ, cætera ferè omnia quæ ac quantum ciuitatem attinent ab ipſo Aurimontano tantũ relata, in medio relinquuntur, quod ipſe aduertiſti, vbi eundem de ponendis elemento maris limitibus, *nonnullorum* tantum opinionem adducentem notaſti, cum *multorum* verè potuiſſet; reliqua monent non accuſant, nec quod fiant, ſed ne fiant dicuntur, idque eâ verborum moderatione, quæ neminem lædat, niſi lædi aliquis ſe exiſtimet; quod magni Senatoris exhibeat vaticinium, qui pro ſua dignitate grauiùs loquitur, id autem Aurimontano non fuit adſcribendum. Is enim vbi dicere audet Io. Dantiſcus;

Eſt breue tempus adhuc, ſi non peccata relinques,
Hoc quibus exundas tempore FRACTA RVES.

ob oculos tibi hoc ipſum tantum ponit, NE RVAS, vbi ille audet:

VLTRICES AQVILÆ COMMERCIA PVBLICA TOLLENT.

hic tamen admonet, NE TOLLANTVR, vbi ille

Externis tunc diuitijs fruſtrata manebis,
Diuitijsq; tuis deſpoliata GEMES.

Hic tantum cauere voluit, ne ſpolieris, neué GEMAS. Vide quàm conſideratè & cautè Eliſei Epiſtola conſcripta

ſcripta ſit, *mi Patrici*, quàm porrò audacter & temerariè tua ſit exarata Reſponſio, iam patebit; quam dum excutio, aduertes ſimul, vel ſaltẽ alij notabunt, *mi Iuſte*, te non tantum IVSTVM, ſed etiam INNOCENTEM PATRICIVM eſſe.

IVSTVS PATRICIVS.

Incidit mihi Eliſee Aurimontane, cùm Epiſtolam tuam in Dan-
tiſcanos legerem, vidiſſe me in inſulſa iſta famoſorum libellorum 7.
farragine, quam Michael Fridualdus Anno 1578. typis Cracouień.
in Dantiſcanos edidit, quod ſimiliter Ioannis Dantiſci quondam Epiſcopi Varmień. vaticinium vti vocat, calumnijs ſuis præfixit, & Mangonium hoc adhibere voluit, vnde facile conijci poſſet te Fridualdi iſtius veſtigijs inſiſtere, & affinitatis memoriam renouare conſtituiſſe. In hoc autem dubius ſum, vter veſtrum in exprimendo carmine iſto fidem mereatur, ita enim verborum diſpoſitione verſuum ordine ac numero illud ab hoc differt, vt vel Fridualdus mancâ eius introductione authori iniuriam feciſſe, vel alius nomini eius tam apparenti augmento aliquid adijcere, ni præſumptuoſa correctione detrahere voluiſſe videatur.

IO. ANTONIVS CARNIOLVS.

Conſtitui, vt videbis in progreſſu, *mi Patrici*, quæ in Reſponſione tua refutanda ſolùm mihi propoſui, poſitis ſeiunctim verbis tuis recenſere, hîc verò totum Epiſtolæ tuæ Exordium prolixè apponendum putaui, vt prudens lector diuinare poſsit, quanam de cauſa Reſponſionem ſuam à Michaelis Fridwaldi relatione, aut libro ordiaris, cùm idem ipſum ab Anonymo Reſcriptore, cuius Reſponſoria

 longe

longè ante tuam comparuit, abundanter relatum sit, an tam ingeniosè Epistolas exordiendi artificium tuum non vulgare, aliunde nisi à recocta & repetita crambe auspicari non potueris, num verò Anonymum Rescriptorem corrigere, & pro ipsius *Fridualdi libro* (quæ visitata modestia tua est) *insulsam famosorum libellorum farraginem* substituere è re communi putaueris, ego non assequor. De Vaticinio & versibus satis supra dixi, nec bis eadem tuo more repetere necessum est. *Dubium autem tuum, vter in exprimendo carmine fidem mereatur?* tollo & respondeo, vtrumque fidem mereri, præsertim vbi idem vterque dicit, adeoque do tibi optionem, quodcunque ex illis vis eligendi.

IVSTVS PATRICIVS.

Notandum plurimum distare virum multæ eruditionis, longæ experientiæ, plurimarum expeditionum magnæq; authoritatis; & vatem esse.

IO. ANTON. CARNIOLVS.

8. Non abnuo, mi Iuste: sed & hoc addo. Nullo modo etiam repugnare *Virum multæ eruditionis, longæ experientiæ, plurimarum expeditionum, magnæque authoritatis*, & simul vatem esse; præsertim si antiquissima vaticinia extent, quæ ipsâ tantorum virorũ authoritate fiunt augustiora, cùm, vt etiam Diuini Numinis afflatu quandoque non vaticinentur, adhuc tamen ex plurimarum rerum vsu, & ingenti experientia, plurima felicissimè sæpe coniicere soleant, quæ tanta

fuit

guit in Io. Dantisco, vt sine *Instructione* maxima Regni negotia apud Imperatorem & Reges ipsius, arbitrio & iudicio fuerint commissa, quemadmodum literæ Sigismundi I. & Petri Tomicij ViceCancellarij, Episcopi Cracouieñ. disertè testantur.

IVSTVS PATRICIVS.

Præsul Romano Catholicæ fuit Ecclesiæ, & antequam ad Aulam perueniret, controuersias cum Senatu habuit, vt mirum videri non debeat, si cùm ex rancore, tùm ex odio Religionis ciuibus suis ad Euangelij lucem conuersis dira quæuis, vt ab agnita veritate deterret, minari, ominari, & imprecari potiùs, quàm vaticinari voluerit.

IO. ANTONIVS CARNIOLVS.

Multa hîc inuoluis, mi Patrici, (non audeo nunc 9.
te *Iustum* appellare) quæ prope à conuitijs absunt, *antequam ad Aulam*, inquis, *perueniret, controuersias cum Senatu habuit*, admodum adolescens & pænè puer ad Aulam venit, ipso contestante:

In teneris annis tumidam sum raptus ad aulam,
Scilicet ex doctis, quòd modo plango scholis.

Vt ipsi vix per ingenium aut ætatem licuerit *controuersias cum Senatu* vestro agere, in tam tenera videlicet ætate, vt posteaquam non exiguo tempore in Aula moratus, eam ad interuallum linqueret, opus habuerit iterum scholas adire, verba ipsius sunt:

Hanc igitur linquens, Latiasq; profectus ad oras
Me volui studijs consociare bonis.

Non

Non facilè itaque mi Iuste, cuiquam persuadebis Io. Dantiscum, *antequam ad aulam perueniret, Controuersias cum Senatu* vestro habuisse. Post peregrinationem Ierosolymitanam, & annos aliquot Iuris legumque cognitioni in Italia impensos, cùm Gedani aliquantulum substitisset, prius quàm ad Aulam reuocaretur, (vide vt te adiuuem) tum fortè Controuersias aliquas habere potuit, sed & tum Iuuenis virilem ætatem necdum attigerat, decimum enim nonum annum tantum egressus, Venetijs nauem in Palæstinam nauigaturus conscendit.

Euganeos adij conclusos vndiq; Ponto
Qui tria Regna suâ sub ditione tenent:
Hic cum vidissem socios, nauemq; paratam,
Ad Solymas mihi mens quæ fuit ante diu,
Mox illam subijt vis Numinis impete quodam,
Quæ iussit comitem me simul esse viæ
Conscendi pariter. ——— Et post multa
Tum mihi bis deni fuerant non aplius anni.

Vaticinium porrò Senex in Episcopatu Varmiensi conscripsit, vt antiquissima Exemplaria docent. Persuadeo autem mihi Senatum Gedanensem nullam pro sua prudentia Io. Dantisco iniuriam fecisse, & vt fecisset, optimum virum post tantam annorum intercurrentium seriem, facilè eam pro animi sui moderatione condonasse, nec priuatam aliquam iniuriolam publicè vltam voluisse, præsertim cùm fortunam priorem

&condi-

& conditionem ciuium tam longè excesſiſſet, atque vt Varmienſis Epiſcopus inter S. R. Imperij Principes numeraretur, reliquumque vitæ tempus in Epiſcopatu, teſte magno Cardinali Hoſio, ſanctiſsimè traduceret, vt eiuſmodi de lana forte caprina controuerſiam ante tot annorum decurias agitatam, non tantum infra iram duxiſſe, ſed etiam vix amplius tunc meminiſſe exiſtimandum ſit. Igitur in caſſum verba fundis, dum verſus illos præſulem ex *rancore* ſcripſiſſe aſſeris. Ipſi te verſus refellunt, qui profectò paternum affectum ſonant, niſi tibi *rancor* videatur, quod dicat:

Siſq; poteſtati iuratâ mente fidelis,
Sub cuius placido tegmine tuta viges.

aduoca iudicium, num potuit quiſquam monere beneuolentiùs:

Copia te rerum non efferat, haud maris vlla
Proſperitas: verti nam ſolet ira breui.
Pauperibus largire libens, fratriq; remittas
Noxam, quod partum fraude, repende, tenes.
Te nihil hinc ſequitur, niſi quod præſtabis egenis,
Hoc ſiquidem vitâ fine carente beat.
Sic eris è multis, quæ reſtant libera pænis,
Mitior & fuerit vindicis ira Dei.

Sed neque ideo, quia *Præſul Romano Catholicæ Ecclesiæ, ex odio Religionis, Ciuibus ſuis ad Euangelij lucem conuerſis, dira imprecari* voluiſſe, quenquam permouebis; cùm Ciues Gedanenſes, ad ouile ſiue Eccleſia- 10.

 ſticum

sticum Regimen ipsius, minimè spectarint, nec cura illorum ipsi eo nomine singularis vlla incubuit, licet inter alia etiam Religionis meminerit. Sed neque tam inurbanis & plebeijs moribus fuit Io. Dantiscus, vt ob Religionis diuersitatem aliquem odio persequeretur, quod vel tibi ostendere possunt, tot tamque amicè scripta Phaleucia, ad Generum Philippi Melanctonis Georgium Sabinum, Regiomontanæ Vniuersitatis primum Rectorem, quæ in operibus Pöeticis Sabini leguntur. Apage itaque cum puerilibus & infirmis tuis rationibus.

IVSTVS PATRICIVS.

Mirari me oportet, cur in Epistolæ inscriptione Dantiscanos reprehendas, quod arma bellumque circumspiciant.

IO. ANTONIVS CARNIOLVS.

II. Fecundum tibi est ingenium, mi Patrici, plura ex inscriptione eruere potes, quàm ea contineat. Ego sanè nullam in inscriptione reprehensionem lego, audiamus illam totam:

> *Elisei Aurimontani ad Dantiscanos bellum & arma circumspicientes Epistola, in qua Vatem eis popularem exhibet. Anno* 1638.

Ostende quod nam sit verbum reprehendens, an circumspicere apud te reprehensionem dicit? Nihil ego hic video quod reprehendat, sed nec quod probet. Tibi verò quemadmodum corrupti palati hominibus euenire solet, omnia amara videntur, credo, si vel

ſi vel Iuppiter ſuum nectar in os tuum pluat, fiet acetum. Vnde vbi Eliſeus poſuit in Inſcriptione: AD DANTISCANOS, tu ponis, IN DANTISCANOS, non fruſtra ſupra dixi: apud Eliſeum calumnias ne quæras; apud te inuenies, ne deſit quod refellas, fingis.

IVSTVS PATRICIVS.

Totus ferè Chriſtianus Orbis belli flamma ardet, loca viciniora dubio ſub Imperio, nihil certius quam Martem cum tremore expectant. Reges tranſmarini in apparatu ſunt bellico: Ciuitas hæc circumcirca arma & militem ſpectat: occulta ſunt Martis conſilia, & ſæpe eo vertuntur, quo ſecuritas, & in curia viam monſtrat. In periculoſo hoc rerum ſtatu, quis ei vitio vertet, quòd circumſpectè agat, quòd aliorum exemplo ſapiat, ex domus vicinæ incendio conſilium capiat, & quantum hominibus conceſſum eſt, ſecuritati ſuæ proſpiciat, imprimis cum eo in loco ſita ſit, qui faciliori exterorum irruptioni maris contiguitate opportunus, tantò maiori cura & tutela indiget, quantò plus inde terris Pruſſiæ, & inclyto Poloniæ Regno periculi imminere poteſt. Eius auertendi animo dum circumſpecta eſt, & facultatibus ſuis non parcit, vt Regi ſuo, quem vnicum in terris Dominum agnoſcit, & perpetuo venerationis obſequio deuotè colit, fidem intemeratam ſeruare pergat. Ecquis liberi iudicij homo non exiſtimabit ſolicitudinem eius laudandam, potiùs conatusq; iuuandos, quàm ſuſpicionum inde, eiuſq; præter meritum incuſandæ extorquendam eſſe materiam!

IO. ANTONIVS CARNIOLVS.

Nimis te excuſas, mi Iuſte, & ita quidem more tuo 12.
inconſideratè, vt in apertam ſuſpicionem Ciuitatem conijcias, & ipſe eam tantum non accuſes, dum neſcio quæ pericula poſt redditam Pruſſiæ ſummam pacem,

& tranquillitatem ita exaggeras, atque si Annibal ante portas, aut Romani terror Imperij, Gustauus reuersus ex inferis Ciuitatis montibus, incubaret: cùm tamen nullus hostis, arma nulla talia in vicinia conspecta sint, qualia non ante tot iam annis sine metu aut periculo vestro, semper apparuerint, præter vnam Danicam classem vobis, quantum olfacere licuit, non admodum infensam. Parco non tuo, sed aliorum Ciuium honori, ne quæ tum apud vos gesta sunt, inuidiosâ commemoratione denarrem. Hoc tantum vnicum, (vt impostèrum cautior fias) ad tam liberam interrogationem tuam insinuo. *Ecquis liberi iudicij homo non existimabit solicitudinem eius laudandam, &c.* Non paucos liberi iudicij homines, in toto Regno, & alibi nequaquam laudandam censuisse nimiam vestram solicitudinem, circa reparandas priuata authoritate, neque Rege, neque Regno, neque Statibus Prussiæ requisitis, ad Vistulam munitiones, quas publico decreto tollere tenebamini, quæ res multarum & maximarum *suspicionum*, non *præter meritum*, vberrimam *materiam* vltro suppeditauit, tantum abest, vt eam *extorquere* sit necesse.

IVSTVS PATRICIVS.

Ea Ciuitati imputare non erubescis, quæ ne in mentem ei venire potuerunt. Quæ enim sunt nouæ istæ opes, quibus vicinarum ciuitatum maiestatem extinxit, *si eas indigetas, quas in bellum, & pro Regni securitate tot iam annos impendit, eæ potius extinctæ sunt, fructumq; earum vicinæ senserunt ciuitates, ita vt Oedipus*

accerſendus videatur, qui mentem tuam de nouis opibus, & extinčta ciuitatum maieſtate diuinatione aſſequatur.

IO. ANTONIVS CARNIOLVS.

O peregrinum in Patria Patricium, ô iam mihi plus 13.
quàm Iuſte. Viſné erubeſcat Aurimontanus, quod Gedanum *pauciſſimis retrò ſeculis, vicinarum Ciuitatum maieſtatem nouis opibus extinxiſſe retulerit?* Erubuit credo, ſi tuam Reſponſionem legit, inuentum fuiſſe adeo Dauum in ſua Patria Patricium, qui in re tam nota opus Oedipo habuerit. Ipſa profectò vel prima quatuor verba Vaticinationis, VRBS NOVA, DIVES OPVM: tuam ignorantiam erudire debuerunt, ſi ipſa Vrbs noua, diues opum, quæ extinxit, etiam opes eius nouæ, quibus extinxit. Quod porro illa extinxerit maieſtatem aliarum, quoniam quidem tu tam *innocens* es *Patricius*, vt ex Authoribus tibi id oſtendere neceſſum ſit, lege Cromerum lib: 1. ſuæ Poloniæ, & inuenies hæc verba: *Gedano proxima dignitate nunc eſt Thorunia,* 24. *milliaribus introrſum verſus Poſnaniam & Cracouiam ab eo diſtans, & in ripe viſtulæ ſita longit. gr.* 41. *lat.* 32. *duobusq́; oppidis diſtincta, olim* EMPOREO, *& omnibus rebus* FLORENTIOR, *ſed Gedani incrementa eam non paruis detrimentis affecere, &* INFREQVENTEM *reddidere.*

Apud eundem Cromerum, eodem libro, ſimilia inuenies de Elbinga, Ciuitatem eam eſſe *Pruſſiæ geminam, permunitam & copioſam, niſi quod quoq́; luminibus*

eius officiat, ex altera parte Gedanum. Prætereo Brūſbergam, ad quam olim Lubecenſes naues non infrequentes acceſsêre, quæ etiam occaſio fuiſſe exiſtimatur, quod Lubecenſi iure hodie vtatur, nunc vix cymbæ aut nauiculæ, quas Schmackas vocatis, eo deferuntur. Quin & ipſum etiam Caſimirianum, quod in delicijs aliàs, apud te eſt (nec reprehendo) Priuilegium, opes & Ciuitatem Gedanenſem nouas eſſe, ſatis clarè demonſtrat, dum Conſulem veſtrum poſt omnes alios
14. nouiſsimo loco collocat, ita enim habet: *Nos per Magnificos, & Spectabiles prudenteſq́ Viros, Ioannem de Bayſen, Auguſtinum de Schewe, Gabrielem de Bayſen, Nicolaum de Wolkan, Iudicem Dirſchouienſem, Laurentium Kreitz Culmenſem, Rutcherum de Birken Thorunienſem, Laurentium Pilgrim Elbingenſem, Proconſules, Ioannem Brunsbergenſem, Gregorium Schwach Crolowgrodienſem, Nicolaum Rodman de Knyphof, Wilhelmum Iordan militem, & Ioannem Meidburg Gedanenſem, Conſules ambaſiatores, & nuncios ſuos, cum pleno mandato & legatione ad nos tranſmiſſos,* NOVIS PRECIBVS & LEGATIONIBVS *ſolicitarent.* Vides hîc Conſulem Gedanenſem vltimo loco poni, nec alius aut melior locus ei datur ab ordinibus Pruſsiæ, in Reciproca ſponſione. Neque mi Iuſte, hæc contumeliæ causâ, ſed innocentiæ tuæ oſtendendæ gratiâ dicta accipias, cùm ad gloriam vrbis ſpectet ciuiumque, acceptam à maioribus tenuitatem fortunæ, tantopere beneuolen-

neuolentiâ fatorum, & clementia Regum ampliauiſſe, vt à quibus non multo ante deſpicatui ducebamini, eos nunc felicitate & opibus antecedatis. Vnum hic moneo, ne te tamen ita iactes cum iſtis *opibus*, quod eas in bellum, & pro *Regni ſecuritate tot iam annis impendas.* Quid ſi diceres, & nonne meliùs? pro tua aut ciuitatis ſecuritate, certè modeſtiùs, neque enim credo eò quod nonnullæ iuramenti & fidei immemores, ad hoſtem defecerint; Vrbs veſtra, ideo ſibi ſolui velit, aut inter beneficia numeret, quòd perfida non ſit facta aut periura, cùm ad id pro officij ſui debito adſtringeretur, ideo & hic ciuitatẽ accuſas, non excuſas.

IVSTVS PATRICIVS.

Quæ (ciuitas) eius ſemper modeſtiæ fuit, vt Regum potentiam vereri, Maieſtatem venerari, & gratiam obſequio demereri anxiè ſtuduerit, viriumq́ue ſuarum conſcia, nihil ſibi in mari arrogauerit, quam quod circa nauigationis moderamen de iure ei competijt. 15.

IO. ANTONIVS CARNIOLVS.

Sic porrò F A C, E T V I V E S. Sed ſpecimen eius modeſtiæ infra proferetur, *Num: 40.*

IVSTVS PATRICIVS.

Hoc eius ſtudium, quod ſequiore interpretatione aliorſum torques infelicitati eius, & odio tuo imputandum eſt: cuius atrocitate, vti ſictum, Patriæ amorem ſupprimis, ita vndequaq́ue, quidquid ad conflandam Ciuitati inuidiam comparatum eſt, conquirere deſudas,

IO. ANTONIVS CARNIOLVS.

Quæ non ſunt ad guſtum tuum, ea tu neceſſariò debere ex odio profluere autumas. Quod & Magno

Præſuli

Præſuli Ioanni Dantiſco ; imponere te non diſpuduit ; omnia nimirùm apud te ſunt *atrocia*, hîc *atrocitatem odij* eructas, alibi *atrocitatem calumniæ*. Sed vide, mi Iuſte, ne quis tales *atrocitates* tibi per exemplum oſtendat, ac ſic declaret Aurimontanum hactenus, *quicquid ad conflandam Ciuitati inuidiam, comparatum eſt conquirere haud deſudaſſe*, quod longè aliter potuiſſet inchoari, & ſine vllo ſudore fortè præſtari.

IVSTVS PATRICIVS.

16. *Qua autem fronte, quauè tui vel Patriæ commendatione, Dantiſcum eſſe liberam Ciuitatem neges, niſi fortè, vt omnibus te boni patriotæ naturam penitùs exuiſſe demonſtres.*

IO. ANTONIVS CARNIOLVS.

Qui de rebus conſultant in Romano Senatu, dicebat quondam I. Cæſar, ab affectibus vacuos eſſe oportere, non tantum non odio, ſed nec amore duci, nec magis ad commendationem, quàm ad veritatem loqui. Itaque mi Patrici, non ſatis prudenter quæris, *qua commendatione Patriæ? ſed qua veritate* quærendum erat, quamuis hoc ipſum ſatis habeat commendationis, ſi quæ laudanda ſuſcipis, ita extuleris, ne à veritate ſimul diſceſsiſſe videaris. Nec omnia quæ placent tibi, tuæque attribuas ciuitati. Si eam magnam vis, veras laudes, quæ nec deſunt, deprædica. Liberam eam eſſe eo ſenſu, quem Epiſtola Aurimontani loquitur, & ſupra declaratum, pernego. Si verò *Liberam* dicere *Ciuitatem* placeat, vt tu in reſponſione tua

iteratò

iteratò insinuare videris, quæ aliqua Priuilegia, siue vt tuis vtar verbis: *Iura sua & libertates habeat*, tali modo Ciuitates omnes sunt liberæ: quæ enim tam vilis, aut exigua ciuitatula est, quæ absque vllo degat Iure, aut quæ non aliqua libertate aut Priuilegio sit munita? saltem eo gaudebit, vt nundinarum semel ad minimum annuatim celebrandarum habeat potestatem, quam libertatem Ciuitati vestræ adimit nemo, cui etiam bis in anno eas celebrare licet.

IVSTVS PATRICIVS.

Memini ex vera viri fide dignissimi relatione, magnum in Regno Poloniæ, & perpetui nominis virum quondam dixisse, non liberam saltem Gedanum, sed liberrimam esse Ciuitatem, & cum quauis Imperij Ciuitate certare. Idem in Iuuentute tua, quo innocentiæ propiore, eo à malitia remotiore, & rectè credidisti, nunc malitiâ & odio cum ætate crescente, aliud sentis, & proprium nidum deturpare non erubescis.

IO. ANTONIVS CARNIOLVS.

Memini & ego, ex vera viri fide dignissimi relatione, magni nominis virum, non admodum pridem dixisse, Gedanum classem illam, quæ prope portum, Regias naues abduxit, suis impensis aluisse, eaque causa Secretarium, quem pridem in Daniam misit, tanto tempore ibidem moras nectere. Sed mi Iuste, non omnia ego credo, quæ audio, aut quæ memini aliquem retulisse, præsertim ad mensam & pocula, sicut nec istis fidem habeo, melius de fidelis hucusque ciuitatis constantia persuasus. Idem tibi author sum vt facias,

neque omnia absque delectu credas, & *magnorum perpetuiq́ nominis virorum*, dicta sanè intelligere discas, & hoc notes viros tales, cùm reprehendere quemcunq́; etiam imperem volunt, non solere dicere: *Omnibus te boni Patriotæ naturam penitus exuisse demonstras, aut proprium nidum tuum deturpare non erubescis*, (igno sces mihi, quod tuis elegantijs pro exẽplo vtar, cùm ad tuã instructionem id fiat) sed id aulicè verbis politissimis absoluunt, vnde iam tu si vis considera, num vir ille magnus Ciuitatem laudare, num fortè nimiam illius licentiam dextrè notare voluerit, & vtrum quemadmodum ego (si parua licet componere magnis) te *Patricium* non solùm *Iustum*, sed etiam *Innocentem* appello, ita ille Ciuitatem vestram, non tantum liberam, sed etiam liberrimam nominauerit. Deinde etiam mi Iuste, hîc nota diligenter tua hæc verba, erunt enim mox vsui. *Idem in iuuentute tua quo innocentiæ propiore, eò à malitia remotiore, & rectè credidisti.* Ergonè Aurimontanus rectè credidit? Dantiscum Ciuitatem liberam nequaquam Poloniæ Regis dominium subijsse? hoc enim eum credidisse Epistola eius clarè testatur. Vide quam considerata sint verba tua, quàm verò sibi consentientia Num: 22. patebit.

IVSTVS PATRICIVS.

18. *Excussa Crucigerorum tyrannide, & recuperatâ Terris Prussiæ libertate, Dantiscum liberam fuisse ciuitatem, ac libertate Hanseatica gauisam esse, nemo negat: Cum hac libertate ad Regnum spontaneo accessit motu, membrumq́ eius factum est, saluisq́ iuribus & libertatibus Regem Dominum agnouit.*

IO. ANTONIVS CARNIOLVS.

Nondum me possum à tua libertate liberare, ite-
rum eam obtrudis mi Patrici, quam tamen hic tam mi-
serabiliter probas, vt iam pigeat te refellere; verùm in
auxilium tibi venire, & nonnihil succurrere etiam de-
creuerim. Itaq; ne quæso tam longè magnarum liber-
tatum tuarum primordia repete, vt eam vel ante, vel
ab excussa Crucigerorum tyrannide deducere velis;
nam si in aliquem Peregrinum incideris, qui quærere
audeat, vnde nam & ex qua mundi plaga tam repenti-
na libertas, adeo subito ciuitati vestræ illuxerit, forte
non statim occurret quod solidè respondeas, nisi te ad
Physicorum emanationē aut Metaphysicorum entium
resultationem volueris conferre: cùm eo tempore
quo ad Cruciferos deuenit Gedanum, oppidum tan-
tum erat Vladislao Lokietek Poloniæ Regi subiectum, 19.
quod per Præfectum (vulgo *Stároſtam*) regebatur,
qualia oppida vt bene nouisti, multis non solent gau-
dere Priuilegijs. A Cruciferis etiam postea magnis li-
bertatibus & Priuilegijs ornatū fuisse, non facilè quis-
piam nisi viderit, credet, eò quod Tyranni (aliter tu
Cruciferos appellare, piaculum aut crimen læsæ Maie-
statis censes) non dare Priuilegia sed auferre consue-
uerint; ad hæc constet Crucigeros etiam ab initio
cùm à Tyrannide longiùs abessent, admodum proui-
dè & frugaliter libertates dispensauisse. Quare cum

hac libertate, quam excussâ Crucigerorum Tyrannide, vel ante ciuitas habuit, mi Patrici, dum eam Regno accessisse dicis, admodum parum dicis, & miserrimè Gedano patrocinaris. Sed addis ciuitatem LI-
20. BERTATE HANSATICA tunc gauisam fuisse. Mi Iuste, & istam, oro te, libertatem nihil in rem tuam facientem omitte, qualiscunque ea tandem sit, quæ vnà cum origine sua ita perplexa est, vt ipsis qui de illa scripsêre, vix satis sit nota. Si priuilegium Henrici III. Angliæ Regis Anno 1206. concessum, quod omnium antiquissimum perferre solent, attendere velimus, in eo potissimum consistit, quod Hansaticarum ciuitatum mercatoribus licitum sit, in Anglia haleces emere, vel si quod aliud tũ temporis negotiationi Anglia suppeditauit, centesimâ tantum modo parte pro teloneo depensa, quod Priuilegium licet longi temporis vsu roboratum, atque ob subministratum belli tempore maximum auxiliũ, cum Rex soluendo non esset, mercedis & remunerationis loco, Hansæ concessum, successores nihilominus Angliæ Reges aucto negotiantium nauium numero, tota Hanseaticâ Machinâ frustra obluctante refutauere. Si Priuilegium Magni VI. Sueciæ & Haquini Nouergiæ Regum legimus Anno 1319. datum, illud Hanseaticis ciuibus in Regnis ipsorum morandi tantum & negotiandi potestatem concedit. Fridericus Rex Daniæ 1549. ijs in toto suo Re-

gno

gno hyberno tempore pro pecunia hoſpitium, alijs externis denegandum indulget, quæ ſucceſſores confirmauêre. Magnus Dux Moſcouiæ Anno 1620 Legatione Hanſeaticarum Ciuitatum in Moſcouiam miſſâ rogatus permiſit illis deſignato Neogardiæ loco (fabris tamen ſolutis & emptis lignis) aliquot domos exædificare. Aduertis mi Patrici, Priuilegia & libertates Hanſeaticas nemini Regum aut Principum præiudicare, nec vllam ciuitatem legitimo dominio eximere, ſed Mercatorum potiſsimum negociationem concernere. Idem ſtatuta ipſorum, nulli fraudē inferentia docent, quæ ſapientiſsimas ordinationes in negotiatoris vtilitatem complectuntur, videlicet ne quis pannum emat priuſquam ſit confectus, aut piſces vendat antequam capiantur, vel frumentum, niſi poſtea quam creuerit. Ita enim loquitur:

Ex Honorabilium Hanſeaticarum Ciuitatum Statutis & Ordinationibus, ſiue receſſibus de Receptione Ciuitatum, quæ fædus Hanſeaticum ambiunt.

Statutum 41. 21.

NEmo emet aut vendet haleces, antequam captura ſit perfecta, nec frumentum ante meſſem, pannum aut alia artificialia manufactionis, priuſquam fuerint confecta & abſoluta, ſi quis contra hoc quid tentet, tunc emptor pendet bona cuncta, venditor autem 10. marcas argenti pro mulcta ſoluet, qui talem contractum nullitatis annunciabit, ille ſextam partem ex bonis his confiſcandis pro præmio accipiet. Receſſ. de Anno 1447. art. 9.

Et alio ſtatuto ordinatum eſt, ne quis Rhenano vino aquam infundat; & quidem perſapienter, cum alias non ſit ingentium virium, & ſuâ generoſitate non facilè bibentium mentes de ſanitate deturbet.

Statutum 69.

Nemo corrumpat vinum Rhenanum, ſed ita in bonitate ſua relinquatur, velut ex benedictione Dei natum eſt, quod ſi adulteratum inueniatur, iuxta crimen falſi iudicabitur. Receſſ. de Anno 1417. & alio ſtatuto vt vncia duos lotones contineat, Receſſ. de Anno 1507. alio prohibet ne ſal Colbergenſe infundatur vaſis, ſed ſolummodo minutulis ligamentis inuoluatur ligno, ſub pœna amiſſionis, Receſſ. de Anno 1413. Ex quibus omnibus facile conficis, quàm ſit modica & à propoſito remota noſtro etiam hinc deſumpta libertas. Scriptor quidem ſtatus Imperij Romano Germanici libertatem ad vnionem Hanſæ requirit, ſed eam quæ ſuarum habeat claues portarum, & ciuilia exerceat iudicia ſatis eſſe declarat. Sed neque alias Magnus Magiſter Pruſsiæ receptus Hanſeaticarum vrbium protector aut Moſcouiæ Magnus Dux libertatum non admodum prodigi, paſsi fuiſſent ciuitates ſuas Hanſeatico fœdere vniri, cùm & hodie Neogardia Moſcouiæ, & præter alias Pruſsiæ Ciuitates etiam Bransberga & Culma, Hanſeaticis annumerentur: neque tamen ideo Dominorum renuunt obſequiũ, aut ſuam intolerantiùs deprædicant libertatem. Tace ergo iſta mi Patrici, nec tàm longè tuæ libertatis duc exordia, neque eâ, quâ tu & Ciues tui, Poloniæ

Regno accesſiſtis, ſed quam à Poloniæ Regno accepiſtis, libertate glorieris, à D. Caſimiro Rege inchoa, & ſi quid immunitatum ab eius tribus filijs, Alberto, Alexandro, Sigiſmundo, altero item Sigiſmundo & Tertio habes, commemora; ſub quorum leni & remiſſo imperio, ad eam Ciuitas tua felicitatem, & opes ſubuecta eſt, vt non tantum cum quauis Vrbium maximarum Germaniæ nunc certet, ſed earum plurimas longo poſt ſe interuallo relinquat, eoque magnitudinis, ſiue indulgentiâ eorundem, ſiue etiam conniuentia proceſſerit, vt iam eſſe poſsit ingrata.

IVSTVS PATRICIVS.

Cum hac libertate ad Regnum ſpontaneo acceſſit motu, membrum 22.
eius factum eſt, ſaluiſq; IVRIBVS ET LIBERTATIBVS, Regem Dominum agnouit.

IO. ANTONIVS CARNIOLVS.

Verba iſta tua ponderoſa ſunt, & commentatione haud indigna, ideo ſingula enucleando, percurram. CVM HAC LIBERTATE, videlicet ea, quàm Gedanum ante Cruciferorum dominatum habebat, & *Hanſeatica*, hoc eſt, Haleces, & cætera emendi SPONTANEO MOTV, eo qui Num: 32. & 33. explicabitur. AD REGNVM ACCESSIT, meliùs diceres *redijt*, cùm vt ſupra, Num: 19. inſinuatum Gedanum iam ante Poloniæ Regno fuiſſet ſubiectum. SALVISQ. IVRIBVS ET LIBERTATIBVS, ſcilicet illis ingentibus, qualibus ſolent

gaudere oppida, quæ per Præfectum ſiue *Stároſtam* gubernantur, aut etiam quæ poſtmodum ab indulgentiſsimis, & liberaliſsimis Crucigeris obtinuit, REGEM DOMINVM AGNOVIT, ita tamen, vt ſi Aurimontanus quiſpiam iuuenis Gedanum Ciuitatem liberam nequaquam Polonorum Dominium ſubijſſe credat, rectè eum credidiſſe Patricius aſſerat. Non arguo, mi Patrici, à te hîc prolata verba, ſaltem ea cum alijs tuis dictis ſupra, Num: 17. propoſitis confero, & quam ſibi conſtent, demonſtro.

IVSTVS PATRICIVS.

Et hoc ipſo ex natura relatorum ſubditorum nomen acceptauit, nec id tam multis Legationibus, magnis precibus, & lachrymis emere opus habuit.

IO. ANTON. CARNIOLVS.

23. Hinc nimirùm ingens odiorum moles toto pondere in Aurimontanum incubuit, *ſubditorum nomen multis legationibus, magnis precibus, & ſi hiſtoriæ credendum ſit, etiam lachrymis* populares ſuos *emiſſe* ſcribentem. Non excuſarem hîc, mi Iuſte, Aurimontanum, niſi noſſem non omnes tam rudes, & tam parum in hiſtoria, vt tu verſatus eſſe, ſed quoniam res hæc in publico orbis theatro, & luce Regni geſta, magnorumque virorum tum viuentium, & præſentium calamis ab obliuione vindicata, poſteritatique tradita manifeſtior eſt, quàm vt vocari in dubium, aut tegi poſsit, non grauatè ferre debebas, eam fuiſſe ab Aurimontano relatam.

Oſtendo

Ostendo autem tibi primo: MVLTIS LEGATIONIBVS OPVS FVISSE.

Legatio Prutenica, Parsouiam.

Ex Cromeri lib. XXII. de rebus gestis Polonor.

MEnse Iunio Rex apud Parsouiam Polonorum simul & Lithuanorum Conuentum habuit, deinde auditæ Legationes Vladislai & Boleslai Masouiorũ Ducum, Nobilitatis & Ciuitatum Prussicarum, & Magistri totiusq; ordinis Crucigerorum, Masouij Tykocinum & Gonianzum repetebant, Prussi aduersus iniurias & impotentem dominatum Cruciferorum opem Regis implorabant: Cruciferi contra, ne Rex aduersus fœdera Prussis adesset, postulabant. Responsum est Prussis, & Cruciferis, Regem veluti Christianũ Principem, dissidia nolle agere, si eo arbitro vti velint, non recusaturum. 24.

Legatio Militarium & Ciuitatum Prussicarum, Sandomiriam.

Ex Dlugos. lib: 12.

VEnationibus multorum dierum Casimirus Rex exactis, dum magnam multitudinem ferarum cepisset, & Poloniam pro solemnitate nuptiarum terminasset, in Vilnam pro diebus Natiuitatis venit, quos cum illic peregisset, in Regnum Poloniæ redijt, & Sandomiriam conuenientibus ad eum, certis Prælatis & Baronibus pro capiendis consilijs, super imminentibus negotijs, Sabbatho ante diem S. Fabiani & Sebastiani Martyrum aduenit. Tres dies in expediendis rebus publicis absumpti sunt, sub quibus deliberationes habitæ Nuncijs militarium & Ciuium Prussiæ, videlicet Gabriel de Baysen, & Magistro Ciuium de Gedano siue Gdantisca Ciuitate, deditionem quinquaginta sex Ciuitatum, quas Nobiliores habet Prussia, subiectionem & obedientiam plenam offe- 25.

rentibus. Responsum est, vt Cracouiam post festum Purificationis Mariæ Nuncios cum plena potestate mitterent, efficax se illis responsum ad petita daturum.

Legatio Prussica Cracouiam.

Ex eodem Authore.

26. FEria quarta ante Cathedram S. Petri, quæ fuit vigesima Februarij, Legati Militarium & Ciuitatum Prussiæ in numero frequenti Cracouiam aduenerunt, quibus introductis, Princeps Legationis Ioannes de Baysen miles, coram Regia Maiestate, & Consiliarijs Legationem exponit.

Ecce tibi, mi Patricj, iam ternas Legationes Militarium, & Ciuitatum Prussicarum, in diuersis Regni locis, & distinctis Ciuitatibus quærentium Regem, & subditorum nomen efflagitantium, vt alias plurimas omittam postea obitas; ternas, inquam, Legationes, antequam quidquam adhuc illis constitisset, admittenda ne forent eorum postulata, an negligenda. Fateare ergo, velis nolis, necesse est Aurimontanum, ne latum vnguem à veritate digressum, cùm emptum multis legatioinbus subditorum nomen à Prutenis asseruit. Sed & PRECIBVS OPVS FVISSE, & si Historiæ credendum etiam LACRYMIS demonstro:

27. Audi verba Matthiæ de Miechouia, lib. 4. cap. 40. *Sub eo tempore*, inquit, *Legati Prutenorum ad Regem Casimirum aduenerunt, & procidentes rogauerunt, vt eos in SVBDITOS & protectionem, contra Magistrum Ludouicum, & Cruciferos Prussiæ susciperet.*

Similia habet verba Cromerus, libro vigesimo secundo,

cundo, de rebus Gestis Polonorum, quæ infra ponam Num. 33. Sed omnium disertissimè fons Polonæ Historiæ Dlugossus, qui libro XIII. Historiarum suarum exponendo orationem, quam Ioannes de Baysen, Princeps Legationis Prutenicæ, coram Rege habuit, hæc vltima eius verba refert:

Moueant te PRECES nostræ, moueant LACHRYMÆ, & non nostræ solum, sed & horum qui reditum nostrum inter metum spemq; suspensi obseruant, gaudium aut mærorem de nostra reuersione habituri. & subiungit: *Atque sic LACRYMIS OBORTIS, in consilij vestibulo procubuerunt deditionem realem, gestus etiam officio testati.* Vide iam, mi Iuste, & diiudica, an iniuriam Gedanensibus fecerit Aurimontanus, quod illos SVBDITORVM NOMEN MVLTIS LEGATIONIBVS, MAGNIS PRECIBVS, & si Historiæ credendum sit, etiam LACHRYMIS à Poloniæ Rege emisse, retulerit. Non sunt verba, vt tu loqueris, *Annalium Compilatoris* alicuius, *quem odium vel metus aut adulatio, à veri via seducit*, (aptiùs hoc IACVLATORI alicui conuenit, ad metam, quam stipendia ostendunt collineanti) sed Magni Historici, qui eo tempore vixit, Diuo Casimiro Regi plerumque adfuit, Legationes, cùm ad Magistrum, & ordinem Mariæburgum, tùm ad Ciuitatem vestram, simul cum alijs Commissarijs Regijs, ex honore & vtilitate Regni obiuit, circa solutionem Stipendiariorum 28.

Mariæburgensium, vnà vobiscum Gedani anxiè laborauit, Mediatorem pacis Rudolphum, Nuncium Apostolicum Vratislauiâ, à Rege missus, in Prusiam deduxit, Tractatibus Nessouij, & Thorunij præsens pacem ipse cum alijs confecit, adeoque quæ coram audiuit, vidit, & gessit, conscripsit. Et tametsi *Præsul Romano Catholicæ fuit Ecclesiæ*, quam ob causam Ioannis Dantisci, Episcopi Varmiensis, vaticinio non multum fidei habendum opinaris; tamen quia nullam *Controuersiam cum Senatu vestro habuit*, ex *rancore* credo non scripsit, sed neque ex *odio Religionis ob* Prutenos, *ad Euangelij lucem* conuersos, cùm nouum illud lumen eo tempore nondum fuisset excitatum, neque lux illa lucere tam manè terris Prusiæ & orbi voluerit. Itaque persuadeo mihi, te fidem quam iniustè Ioanni Dantisco ademisti, nisi extremè iniustus audire mi Iuste velis, saltem huic non abrogaturum. Si tamen & hunc tantæ Historicum authoritatis nihilominus *Compilatorem* aliquem *Annalium* appellare volueris, & nihil credere, nisi (vt verba tua sonant) *sigillo Regio ac Iureiurando roboratum*. Super addo tibi verba Priuilegia Casimiriani: Significamus vniuersis, tam præsentibus quam futuris, qualiter etsi Prælatorum Spiritualium, & Sæcularium, Magnificorum, Strenuorum, Nobilium, Militarium & prudentium, videlicet Terrigenarum, Ciuium, & vniuersæ Communitatis Terrarum Prussiæ, Culmensis, Konigsbergensis, Elbingensis, & Pomeraniæ, CREBRIS PRECIBVS & LEGATIONIBVS, superioribus temporibus fuissem⁹ rogati &c.

IVSTVS

IVSTVS PATRICIVS.

Quin nec loci, nec temporis interuallum id permisit, cùm intra decimam octauam Februarij, & sextam Martij diem, Anno 1454. integrum vnionis negotium Cracouiæ cæptum finitumq́ sit.

IO. ANTONIVS CARNIOLVS.

Expeditus sanè vir es, mi Iuste, admodum celeriter, 29.
vt video, negotia absoluis: *Integrum vnionis negocium* tu intra sedecim dies finiuisti, quod Rex cũ toto Regno Poloniæ vix intra tredecim annos conficere potuerunt. Si principium vnionis diceres, tolerari saltem tua ignorantia posset, tametsi & sic verũ non diceres. Sed aduerte innocẽtiam tuam: *Vnionis negocium*, mi Patrici, quod *intra* 18. *Februarij*, & 6. *Martij, Anni* 1454. *Cracouiæ cæptum finitumq́* dicis; nec Cracouiæ cæptum, nec Cracouiæ finitum est, sed est inchoatum Sandomiriæ, vbi Diuo Casimiro Regi, Legati Prussiæ, primo *subiectionem Ciuitatum, & obedientiam plenam*, vt ait Dlugossus, *obtulerunt*: *deliberationesq́ ea super re habitæ* sunt, vt liquet ex verbis Dlugossi supracitatis num. 25. etsi negocium tam arduum non statim sit absolutum, sed responsum, vt iterum *Nuncios Cracouiam mitterent, cum plena potestate*. Neque tamen ideo *integrum vnionis negocium* Cracouiæ, vt tu asseueras, est finitum sexta Martij, Anni 1454. Enimuerò si eo anno integrum negocium finitum fuit, quid ergo reliquum remansit, cuius componendi gratiâ post annos duos, Anno videlicet 1456. *Gedanenses Vilnam ad Regem miserunt, orantes,*

vt is quàm primum ad componendas res Pruſſicas adueniret. ſi integrum tunc negocium finitum fuit, cur eius conficiendi cauſa Archidux Albertus ex Auſtria, Ioannes Iſkra ex Hungaria, Dux Ludouicus ex Bauaria per Legatum, Archiepiſcopus Cretenſis ex Italia, Anno 1462. Epiſcopus & ciues Lubecenſes, adiunctis ſibi de Roſtocenſium, Viſmarienſium, & Luneburgenſium Senatu ſingulis, Anno 1464. in Poloniam Pruſsiamque conuolarent, donec tandem Rudolphus Epiſcopus Lauantinus, Nuncius Apoſtolicus, à Papa Paulo ſecundo in Pruſsiam miſſus, tanto tamque diuturno negocio, Anno 1466. finem imponeret.

30. Quid ergo mi Patrici, apud te eſt *integrum vnionis negocium*, an Regium conſenſum aut membranam ſeu literas, quibus vos in Subditos recipit, *integrum vnionis negotium* appellas, idque *finitum*? Non Diploma Regium aut literæ finis fuêre, ſed duntaxat initium magni & diuturni negocij. Neque enim mi Iuſte, calamus Pruſsiam Regno vniuit, ſed gladius, & hæ ipſæ litteræ Cracouiæ quidem datæ & ſcriptæ, adhuc multo Polonorum ſanguine per 13. annos in Pruſsia effuſo ſubſcribendæ fuerunt. Non igitur, *integrum vnionis negocium, Cracouiæ ſexta Martij, Anni* 1454. ſed duodecim annis poſt decima nona nimirum Octobris, Anno 1466. Thorunij in Gelda finitum eſt. Si tamen hoc negocium Sandomiriæ, vt oſtendi, inchoatum: Cracouiæ aggredi, & pro celeri tuo ingenio, ibidem etiam

tiam

tiam finire tam citò voluisti, duos adhuc dies delibare potuisses, cùm non 18. sed die Mercurij ante Cathedrã S. Petri, quæ fuit tunc 20. Februarij, Legati Prutenorum Cracouiam aduenerint.

IVSTVS PATRICIVS.

Ad ea prouocas quæ æternis literarum signata sunt monumentis. Ecce quæ D. Casimirus Poloniæ Rex in diplomate Regio, Anno 1454. publicauit his verbis: Ad honorem Omnipotentis, eiusq́ue Genitricis Virginis MARIÆ, S. Adalberti Martyris, S. Stanislai Protomartyris, Poloniæ ac totius Hierarchiæ cælestis, Præfatorum Prælatorum, Spiritualium & Secularium, Militarium & Ciuium Terrigenarum, & omnium incolarum Terrarum Prussiæ, Culmensis, Kinsbergensis, Elbingensis & Pomeraniæ, in terra mariq́ue sitarum, beneuolam & spontaneã deditionem, regimen, tutelam, gubernationem, subiectionem, obedientiam accepimus, assumpsimus: tenoreq́ue præsentium, non per errorem aut improuidè, sed de certa nostra Scientia & voluntate, in Dei nomine assumimus & acceptamus. Terrasq́; & dominia prędicta; Regno Poloniæ reintegramus, reunimus, inuisceramus, & incorporamus, & ad vsum participationem omnium honorum, Iurium, & libertatum, & prærogatiuarum, quibus Prælati, Barones & Nobiles Regni Poloniæ hactenus potiti sunt, & signanter ad futurorum Regum Poloniæ, quotiescunq́ue super electione & coronatione illorum fieri deliberationem contingat, Electionem & Coronationem admittimus, annectimus, & includimus. Promittentes insuper pro Nobis hæredibus, & Successoribus nostris, quòd præfatos Prælatos, Spirituales & Seculares, ad sacras ædes & Ecclesias, Barones, Nobiles & Ciues, atque singulos incolas terrarum nostrarum prædictarum Prussiæ, in iuribus, libertatibus, literis, Priuilegijs, immunitatibus eorum,

rum, quæ à Principibus Spiritualibus & ſæcularibus, Regibus & Dominis terrarum prædictatarum obtinent, conſeruabimus, fouebimus, defendemus, nec vnquam ea violabimus, aut præuaricabimur, aut violari vel præuaricari quomodolibet permittemus.

Hoccine eſt, Libertatem vendere, ſeruitutem emere? cum non ſolum quas habuit Ciuitas retinuerit, ſed ad Regni quoq; libertates & honores admiſſa fuerit! Regia hæc verba ſunt, Sigillo Regio, ac iure iurando roborata, pluſque habent fidei, quàm tua vel Annalium tuorum, quorum compilatores ſæpiſſimè odium vel metus, æmulatio aut adulatio à veri via ſeducit.

IO. ANTONIVS CARNIOLVS.

31. Mirandum in modum, mi Iuſte, in Priuilegio Caſimiriano oblectaris, ideoque tam lubenti & frequenti eius adcitatione mentem tuam paſcis, vti & hîc occaſione non expectatâ, ſed arreptâ portionem eius non paruam Aurimontano obgeris, expendēdamq; & trutinandā lectori obtrudis. Non ægrè itaq; feres, ſi eandem pauliſper contemplando, tuæ voluntati obſecundem: & imprimis in oculos incurrit enumeratio Terrarum Pruſſiæ, vbi præter Nobilium, Militarium, Ciuium & Incolarum, generalem enarrationem, etiam diuerſa fit mentio Ciuitatum, *Culmenſis, Kinsbergenſis, Elbingenſis*, nulla *Gedanenſis*. quæ res in memoriam mihi reuocat initium eiuſdem Priuilegij, in quo idem lego. ita enim illud:

In nomi.

In nomine Domini, Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos CASIMIRVS, *Dei Gratia REX Poloniæ, nec non Cracouiæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiauiæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæque, Culmensis, Konigsbergensis, Elbingensis, & Pomeraniæ, Terrarum Dominus, & hæres, &c.* afferunt mihi hæc dubitationem, cur nam D. Casimirus Poloniæ Rex, cùm ob nouam accessionem oblatarum Terrarum & Ciuitatum Prussiæ nouos titulos sibi desumeret, in ijs Culmensium, Konigsbergensium & Elbingensium, expressè relatis vsurpatisque nominibus, Gedanense tamen nomen transiret atque negligeret, & vnà cum Mæua Putzko, Dersauia sub Pomeraniæ vocabulo implicaret atque conuolueret! an quod eam Ciuitatem ne nomine quidem dignam æstimarit? non ausim hoc asserere, hoc tamen auderem, titulis suis indignam censuisse, quos nouos tunc adoptabat, non quod non esset forte par alijs, sed quod nihil noui per eam se acquisiuisse, verùm amissa tantummodo recuperauisse animaduerteret; vnde vlterius consequitur Gedanensium Ciuitatem, maiori & potiori iure, Regi & Regno Poloniæ subditam & subiectam esse, quàm Elbinga, Christburgum, Neuteichum, Tolkmitum, & similes Prussiæ ciuitates, quæ nunquam ad Poloniæ Regnum, ab ipsis Cruciferis conditæ, ante spectarunt, Gedanum autem iniuriâ bellica Regno subductum *redierit*, tantùm non *accesserit*, vt supra, Num: 19. insinuaui.

32. Alterum quod hic incurrit, est BENEVOLA ET SPONTANEA DEDITIO, quod (vt supra te iactabas) *spontaneo motu* (& soletis alias sæpè) *Regno vos accessisse*, occasionem supradictorum Priuilegij verborum gloriamini. Sed mi Patrici, grauissimè hallucinaris, si verba Priuilegij SPONTANEAM ET BENEVOLAM deditionem ita capis, vt eam ex sola beneuolentia & non ex indigentia prouenisse arbitreris. Quæro enim ex te, si vt ais, Excussa Crucigerorum Tyrannide Dantiscani liberi fuerunt, & *spontaneo* solùm *motu Regno accesserunt*, cur pro animorum suorum generositate, non ita liberi potiùs manserunt? quid, aut quis illos, vt sese Domino sponte subijcerent impulit, quis coegit? Quamobrem non satis assequeris mi Iuste, Priuilegij sensum, qui si promiscuè comprehendere nationem velis, sic accipiendus est, nimirum Prutenos *spontaneo motu Regno accessisse*: hoc est, vltro & sponte venisse, quia Poloni pro illis nunquam miserunt; aut vt clarius & per exempla eam, *spontaneo motu accesserunt*, videlicet quali motu solent, vbi cælum tempestatibus inhorruit naufragium passuri, preciosissima quæque sponte & vltrò in mare proijcere, libentiùs tamen ea retenturi, nisi extremâ necessitate vrgerentur; aut qua ratione Anno 1577. Ciues vestri, cùm à Sborouio cæderentur *beneuolo & spontaneo motu* sese ad Nisseuiam in lacum præcipitarunt. Itaque imposterum non errabis, mi Patrici, si iam doctior factus per

beneuolam & spontaneam deditionem, intellexeris *extremam necessitatem.* Et ne hoc tibi paradoxum aut calumnia videatur, audi Cromerum, non aliter *spontaneam* istam *deditionem* vestram explicantem, in Historia sua *lib*: 22.

Post hæc, inquit, *Prussorum Legati in Senatu introducti, prolixè exposuerunt, qua improbitate, & quibus artibus Cruciferi Pomeraniam & Michalouiensem tractum olim Polonis interuertissent, &c.* & post multa: *Ad illorum igitur qui & Cruciferorum Patroni, & iusti Domini sui essent, opē se supplices confugere, eisq́ se suaq́ omnia dedere, orare ne se in EXTREMA sua NECESSITATE despicerent, neue opprimi, & ad EXTREMVM EXSCINDI paterentur.* Et profectò in tantam Pruteni inciderant necessitatem quærendi Dominum, vt etiam Rege recusaturo fugitiuos Principes se quæsituros non diffiterentur, quemadmodum verba Dlugossi infra, Num: 38. ponenda declarant. Sed si Historicis etiam credere nolis, rationem in consilium voca, & quidnam Crucigeros acturos fuisse considera, si non potentibus armis Regni Poloniæ retenti, Prutenos in suam potestatem iterum reduxissent, quibus (veluti in Oratione vestra fatemini) non fuit satis sententiæ Imperatoris, Ligam vestram rescindentis, & sexcentorum millium florenorum summâ Magistro Teutonici Ordinis numerandâ vos plectentis, sed insuper, vt trecenti ex vobis capite plecterentur expetiuêre. At 33.

ſciſcitaberis forſitan ex me, & vt es in argumentando promptus, & nimium quandoque fæcundus, inferre voles, ergoné verba illa: BENEVOLAM ET SPONTANEAM DEDITIONEM ACCEPIMVS: fruſtra D. Caſimirus Rex Priuilegio Terrarum Pruſsiæ inſeruit, ſi Pruteni extremâ *neceſſitate deposcente,* non *ſpontaneo motu* Dominum quæſiuêre? Do reſponſum. Optimè ea verba à Rege vſurpata, ſed nō omnia, quæ in Priuilegio Terrarum Pruſsiæ dicuntur, ad omnes ſeiunctim Prutenos ſpectare, verùm aliqua vniuerſos concernere, alia ſingulos, alia nonnullos tantum, alia Nobilitatem, ad Ciues alia attinere. Neq; enim eò, quod D. Rex Caſimirus ibidem Prutenos ad vſum & participationem omnium honorum, iurium & libertatum ac prærogatiuarum, quibus Prælati, Barones ac Nobiles, Regni Poloniæ hactenus potiti ſunt, admittit: idcircò ſtatim Conſuli Gedanenſi ſella aut locus in Senatu Regni conceditur, aut Ciues veſtri Palatinatus & Caſtellanatus ambire audent. Vnde reſpondeo, verba illa *beneuolæ & ſpontaneæ deditionis* ad eos Prutenos, qui excuſsâ Crucigerorum Tyrannide, vt tecum loquar, Regno acceſſerunt, nequaquam ſpectare, ſed ad illos duntaxat, qui ante ea tempora, nec Polonorum imperio, nec Cruciferorum dominatui vnquam ſubiecti, nec vlla neceſsitate preſsi, ſed ſolâ beneuolentiâ incitati, alijs ab Ordine deficientibus motu merè ſpontaneo ſeſe adiunxêre, quali modo initiò

aliquæ

aliquæ Ciuitates Ermlandiæ, & totus deinde principatus Varmiensis Poloniæ Regno accesit. Ast vt liberaliùs tecum agamus, & largiamur, etiam verba beneuolæ spontaneæque deditionis ad Prutenos, antehac Crucigeris subiectos extendi debere, adhuc Gedano tuo nequaquam conuenire affirmo, siquidem id vt supra insinuaui, vi & iniuriâ bellorum, Regno abstractum etiam cùm subisset Crucigeris, Polonici tamen esse iuris nunquam desierit, clarè id testante ipsomet Priuilegio Casimiriano his verbis: *Nos superiora cogitatione, & animo reuoluendo tempora, quibus nonnullæ ex terris prædictis, per Reges & Principes Poloniæ, iure legitimo & hæreditario possessæ, tandem prædecessori nostro VLADISLAO Regi Poloniæ, bello cum finitimis & infidelibus occupato, vi & armis, per Magistrum & Ordinem abstractæ, (in ijs etiam Gedanum fuit)* nunquam iuris & proprietatis Regni nostri Poloniæ esse desierant. Animaduertis mi Patrici, Gedanum inter Prussiæ illas spontaneè & beneuolè accedentes Ciuitates, tanquam anser inter olores, aut Vlysses inter oues intrasse. Ne itaque *beneuolæ & spontaneæ deditionis*, istius ad te non spectantis, voluptas animum tuum superuacuâ vanitate demulceat. Sed & hoc memineris, quãdo Priuilegiũ Casimirianũ tuæ aliàs delitiæ *de Terrarum Prussiæ, in Iuribus, libertatibus, literis, Priuilegijs, immunitatibus conseruandis, fouendis, defendendis* loquitur, non præcipuè Ciuitates, quæ exigua habuerunt,

& vltimo loco recenſentur, ſed ſtatum Eccleſiaſticum templa & Eccleſias, tum Statum Nobilitatis, quæ omnia magnis prærogatiuis ornari conſueuerunt, potiſsimùm intelligi, vt ipſe verborum ordo ex Priuilegio à te adductorum facilè prodit, tametſi Ciuitatum quoque per hoc immunitates non excludantur, quamuis illas tam parui tunc momenti fuiſſe, ex ſupradictis conſtet, vt minimè ex dignitate & munificentiâ Regia D. Caſimirus putarit ciuitates ſuas maioribus non honeſtauiſſe. Hæc nunc ad Priuilegij Caſimiriani nobis in oculos ingeſtam partem cape. Si non ad palatum tuũ, tuæ id importunitati adſcribe, cui inſeruire volui; id totum omiſſurus, ſi tu Priuilegij illius partem tam prolixè, tantâque inſolentiâ lectori obtrudere omiſiſſes, imò ſi totam reſponſionem tuam omiſiſſes, nihil amiſiſſes.

IVSTVS PATRICIVS.

Sed quam Patriæ tuæ, eandem & Regi præſtas fidem, dum in du-
36. *bio eſſe aſſerere non vereris, an iuſtas ob cauſas Terræ Pruſſiæ à Tyrannorum obedientia, ad Regnum Poloniæ diuerterint. quid enim aliud hoc eſt, quam tyrannidem approbare Regio diplomati, quod multas & graues eius rei cauſas recenſet contradicere, & quodámodo indigitare iniuſte Boruſſiam Regno vnitam, Regem illegitimum eius eſſe Dominum, & iure diuelli eam à corpore hoc poſſe. Quod ſi impunè feceris, &c.*

IO. ANTONIVS CARNIOLVS.

Obiter planè *iuſtæné* Prutenorum *cauſæ fuerint à Teutonici Ordinis obedientia diuertentium* quoſdam dubitare

bitare Aurimontanus paucissimis verbis, & in parenthesi tantùm attigerat, quæ tu multis inde deductis consecutionibus adeò exagitare adniteris, vt etiam Aurimontanum eo nomine puniendum arbitreris. Facile itaque me veniam ab aliorum Prutenorum humanitate imperaturum confido, quod eo quo trahis sequar. Et quandoquidem ea verborum modestiâ Aurimontanus tibi nimiũ dicere visus est, audi plura. Non tantum quidam causæ æquitatem Prutenorum à Crucigerorum regimine deficientium in dubio posuerunt, sed dubitauit tota fermè Germania, dico plus dubitauit totum Romanum Imperium, dico amplius dubitauit totus Orbis Christianus, & quidni dicerem cum suprema tam sæcularis; quam Ecclesiastica Potestas, causam vestram damnaret. Nam & Romanorum Imperator Fridericus arbiter electus vtriusque partis rationibus ponderatis iniustam vestram causam, & Ligam pronunciauerat, vosque in sexcentis millibus florenorum condemnauerat. Et Romanus Pontifex quem tũc omnis Prussia, pro Capite Ecclesiæ agnoscebat, noua Euangelicæ fidei face nondum accensâ Prutenos diris deuouerat: addo, dubitauit quoque vna cum Regno Poloniæ D. Rex Casimirus, qui antequam vos regimen illius flagitantes in subditos acciperet, vehementer fluctuabat, cum primam Prutenorum Legationem refelleret, alteram post trium dierum deliberationem non absolueret, sed differet; in tertia adeo ancipiti co-

gitatione & curâ diſtraharetur, vt ſe ſe poſt 15. & amplius dierum longiſsimas, & continuas conſultationes vix determinare poſſet, variantibus, vt refert Dlugoſſus, Conſiliariorum ſententijs, & Sbigneo Cardinale Epiſcopo Cracouienſi, qui tum ſummæ authoritatis poſt Regem erat ſummopere diſuadente, vt & præter morem etiam Iuniores in Conſilium adhiberentur. Dubitauit itaque cum Rege Regnum Poloniæ, an iuſtæ cauſæ fuerint Pruſsiæ Magiſtri, & Crucigerorum (excipio partes à dominatione eorum antea immunes) imperium excutientis. Et quomodo non dubitaret, cum Romani Pontifices, quorum grauiſsima ſemper in Regno authoritas, cauſam Prutenorum (non tamen Regiam) iniquã decerneret, & Romani Imperatores damnarent. ſed vti eſt egregia tua Philoſophia, tam fæcundè conſecutiones conglomerans infers: *Quid hoc eſt aliud quam quodammodo indigitare iniuſtè Boruſſiam Regno vnitam?* Reſpondeo tibi mi Patrici, D. Caſimirum Poloniæ Regem, hoc ipſo quod deficientes à Crucigeris Prutenos & extrema neceſsitate ad quærendum aliquem Dominum adactos in ſuam tutelam & ſubiectionem acceperit, non ideò cauſam eorum approbauiſſe, ſed eo poſthabito, quodcunque tunc facerẽt Pruteni attendiſſe, quid ſibi faciendum in ea rerum facie ad maiora incommoda auertenda, incumberet. Sicuti neque Caſimiri filius Sigiſmundus Primus Rex Poloniæ, eo quod Alberto Marchioni Brandeburgenſi Teuto-

ri Teutonici Ordinis Magistro Prussiam Ducalem in feudum atque futuræ eius proli conferret, non ideò aut coniugium ipsius, aut causam Marchionij Ordinem & religionem eiurantis probauit. Et profectò non æquitate causæ Prutenorum (quæ ita clara non erat, vt dubitare de illa nefas esset) Regem motum tum primæ Legationis repulsio, tum aliarum diuturnior suspēsio, satis manifestant; inclinabat quidem vehementer Regem, ne tam luculentam, vt ait Cromerus, occasionem recuperandi ea quæ maiores sui olim amiserant, vix vnquam postea redituram sibi elabi pateretur, nihilominus tamen tam diu tergiuersabatur, donec ipsa periculosi negocij magnitudo moræ impatiens ad alium Rege tergiuersante, quærendum Dominum cogere videretur. Audiamus Historicum:

Et quamuis Sbigneus Cardinalis & Episcopus Cracou. Ioannes Wladislauiensis Episcopus, nonnulliq; alij disuaderent, Ioannes de Tęczyn, Palatinus Cracouień. & cæteri differri rem expeterent, secundum tamen consultationem Ionnnis de Czisow Castellani, & aliorum fuit, quindecim & amplius dies in consultań. absumpti sunt, vt etiam iuniores ad consilium adhiberentur. Placuit nonnullis rem ad conuentionem generalem differri, præcipuè Ioanni de Tęnczyn, Palatino Cracouień. & interim Lithuaniæ Barones consuleń. Prutenorum Legati mentione de differentia audita, iterùm veniunt oratum, ne qua dilatio fieret, se Principes fugitiuos quæsituros, apparebatq; eos in Bohe-

miam ituros ad Bohemiæ Regem. Hic RESPECTVS perpulit Regem & conſiliarios, vt dilatione qualibet circumſcripta ſine cunctatione deditionem acciperet. Hucuſque Dlugoſſus. Vide quid Regem potiſsimùm mouerit occaſio, nimirum recuperandi amiſſas terras, & præſertim noui alicuius, & potentis vicini metus, à quo noua Regno pericula oriri potuiſſent. Itaque non eſt hoc quod imperitè Aurimontano obijcis, Regio diplomati contradicere, aut Tyrannos & tyrannidem approbare. Sed eum eodem has potiſsimas cauſas recenſente conuenire, reliqua etenim magis ex Prutenorum aſſertionibus, quàm ex mente Regia in Priuilegio referuntur, vt conſideraturo patere poteſt, & vt cauſam Prutenorum (excipio ſemper quos ſupra memoraui) tùm peſsimè nomine defectionis, per totum Orbem Chriſtianum audientium, ſaltem ille qui ſuſciperet, quantum poſſet coloraret. Ac tametſi etiam Rex in aliquot factis Cruciferorum, vt apud milites non eſt nouum, tyrannidem fateatur interueniſſe, non tamen idcircò Cruciferos mox Tyrannos, ſed ſemper Magiſtrum & Ordinem Pruſsiæ in Priuilegio appellat. Neque huiuſmodi tyrannis aut quod à Tyrannis Pruſsia teneretur, Regium animum ad ſuſcipiendos Prutenos permouit, ſed ne à Tyranno inuaderetur, verba ſunt Priuilegij: Veritique ne Dominia, ſortes, & terras, & hæreditates noſtras, alius illicitus occupator Tyrannuſque, ex quo nobis hoſtilitas maior

conſur-

consurgeret inuadat. Et certè meliùs & honorificentiùs, inclytum Casimirum Regem de Ordine Teutonico (quem etiam postea & nostro sæculo Maximorũ Principum, Regum & Imperatorum filij & nepotes non dedignantur) atque tu tibi imaginaris, sensisse facilè conijcere est ex conditionibus perpetuæ pacis, vbi inter alias hanc etiam conditionem poni voluit, vt Polona Nobilitas, ad Teutonicum Ordinem assumeretur, quos ad Tyrannidem institui certè non voluit. quin & summo honore postea dignos iudicauit Crucigeros Rex & Regnum. Audi verba perpetuæ pacis: *Præfatus Serenissimus Casimirus Rex, Nos fratrem Ludouicum Magistrum Commendatores, & Ordinem præfatos in Prussia, omnesq; nostros successores, in suum & Regni Poloniæ Principem, Consiliarium perpetuum, Commendatores verò principaliores quos nos Magister & Successores nostri, pro tempore duxerimus, deputandos in Consiliarios suos, & Regni Poloniæ assumpsit.* Sed & in Oratione ad PAVLVM II. Papam pro ratificanda perpetua pace, per Legatos suos, Vincentium Kielbasam, Episcopum nominatum Culmensem, & Ioannem Ostrorog, Castellanum Miedzirzecensem, habita; Rex Casimirus Magistrum Crucigerorum & totum Ordinem Summo Pontifici singulariter commendat. Inserta est ea Oratio Libro Priuilegiorum, ex mandato Regis Alexandri, Cracouiæ Anno 1506. edito. Hinc iam precium constituere potes, quanti æstimanda sit

tua tot pulcherrimarum conſequentiarum agglomeratio. cuius robur vt clariùs perſpicias, pariquе tecum qua ſupra liberalitate agam. Do, mi Patrici, nequaquam alioquin daturus, etiam Regem & Regnum, non habuiſſe iuſtam cauſam Pruſsiæ acceptandæ, & ſibi vindicandæ, tamen minimè inde ſequitur, *iure eam nunc diuelli à corpore Poloniæ poſſe,* cùm in conditionibus perpetuæ pacis, Magiſter cum Ordine Teutonico, *perpetuâ & irreuocabili renunciatione, Iuri ſorti proprietati titulo & dominio quocunque, & qualicunq́ cauſa in illis Pruſſiæ terris Ordini competentibus ceſſerit, & renunciarit, & in Caſimirum Regem Succeſſores ſuos & Regni Poloniæ, tranſtulerit & applicarit.*

IVSTVS PATRICIVS.

39. *Nouit Ciuitas, quod non ab hominum induſtria, ſed ſolius Dei diſpoſitione portuum dependeat commoditas & conſeruatio, &c. Et quidem hoc in loco (Gedani) quo fortaſſis opportuniorem vix aliquis inueniet, niſi qui ſummi iſtius artificis opus corrigere ac voluntatem impedire voluerit.*

IO. ANTON. CARNIOLVS.

Nouerunt quoque alij, mi Patrici, non tantum *portuum commoditatem & conſeruationem,* ſed etiam ipſam *humanam induſtriam,* portuum commoditates variantem & transferentem, à Diuina diſpoſitione pendere, quæ ſuo nutu ita in mundo gubernat vniuerſa, vt mortalium iuuet, non liget voluntatem aut manum. Itaq; non extra rem propoſuerat Aurimontanus Battauorum induſtriam, quæ opportuniorem longè portum

& locum nihil morata, celebratam paulò ante toto Orbe Antuerpiensium fortunam aliò transtulit, & vide quantum opulentissimam ciuitatem depressit! an summi illius artificis perfectissimum opus corrigere voluerit, aut Dei voluntatem impedire, nescio; hoc scio, portum correxisse.

IVSTVS PATRICIVS.

Et in hoc dissuadendo tam anxius es, vt non modo per latus Ci-
uitatis D. Regi VLADISLAO infelicem præcipitis consilij euen- 4
tum exprobres, &c.

IO. ANTONIVS CARNIOLVS.

Hoccine mi Patrici, specimen est modestiæ illius, cuius semper Ciuitatem fuisse asserebas, vt *Regum potentiam vereri, Maiestatem venerari, & gratiam obsequio demereri anxiè studuerit?* an verò nunc primum vestra illa modestia in D. Rege VLADISLAO expirauit, cui infelicem præcipitis consilij euentum Ciuitas exprobret. quanquam ego hæc non Ciuitati, sed patriciæ tuæ Ciuilitati, adscribere malim, nimis maturè & ante victoriam triumphantis. Fallitur sæpè mi Patrici, contemplator auroræ, & quid serus vehat, vesper ignorat.

IVSTVS PATRICIVS.

Et hic amor ille patriæ est, quo motus Vatem exhibes, & vt reuo-
cata beneficiorum memoria, quibus Regum magnifica magis quam 41.
prouida liberalitate ornata, est officij sui & gloriæ memor sit eam
hortari allaboras, sed qua fronte fidelem Regi Ciuitatem officij ad-
monere audes, qui tui ipsius tam turpiter obliuisceris, vt nec Regis
laudatissimæ memoriæ honori parcas, dum liberalitatem eius minùs

prouidam censendo prodigalitatis, eum quodammodo arguere, beatosq; Regis cineres inquietare non vereris.

IO. ANTONIVS CARNIOLVS.

Quantauis Regalis munificentiæ in ciues effusio, mi Patrici, tam diu LIBERALITAS vocatur, donec ipsi voluerint; ast vbi virtutis pulcherrimum nomen subditorum ingratitudo corrumpit, tum demùm PRODIGALITAS appellatur. Itaque liberalissimè D. Rex Casimirus an prodigus fuisse videatur, in vestra potestate est. quanquam nihil de hoc Aurimontanus, qui Regiam prouidentiam cum magnificentia componendo huic primas dat, quod, mi Iuste, Reges non offendit, cùm nec Diuinum offendatur numen, si dixeris, quod illud humanam imbecillitatem *clementi magis quàm iusta ratione* gubernet.

42. *IVSTVS PATRICIVS.*

Cognitum tibi est, Ciuitatem iura sua habuisse, antequam ad Regnum accessit. Aliqua ducentos propemodum ante annos à D. Rege Casimiro non ex nuda liberalitate, sed respectu fidelium notabilium & promptissimorum officiorum, euidenter & præclarê durante bello, immensis sumptibus & impensis pro Rege, circa acceptationem Terrarum Prussiæ præstitorum: Stipendiorum etiam in honorem & vtilitatem Regiam, militibus solutorum, adeòq; in meritorum compensationem, cum publico Senatorum Regni consensu accepisse, quæ vti vim pacti contractus ac reciprocæ obligationis habent, ita nemo non intelligit, quod citra conuulsionis & perturbationis periculum interpretationem literæ contrariam admittere non possint.

IO. ANTON. CARNIOLVS.

Quæ Iura Ciuitas antequam ad Regnum accessit habuit,

habuit, & quanta illa fuerint, iam credo satis à me supra esse elucidatum. Quæ verò non ex *nuda liberalitate sed respectu fidelium officiorum durante bello præstitorum* accepit, ea quæ & qualia fuerint tibi nouißimè Dirsauia, aut collegæ forte tuo explicuit. Hoc autem memineris, *sumptus* illos *immensos* (etsi vix pro Rege magis quàm pro te præstitos) abundè tibi remensos fuisse, ita vt pecuniam illam tuam maiori in fœnore collocare nusquam potuisses, adeóque non eo nomine quidquam tibi Rex aut Regnum, sed tu plurimùm Regi Regnoque debeas. Porrò & hoc memineris, longè maiora Polonos pro vobis præstitisse, qui circa *acceptationem Prussiæ* non tantùm pecuniam, sed sanguinem commodarunt, quanquam & pecuniæ multò ampliori pro Prutenis expositæ non pepercerint, ingentibus contributionibus toties per continuos tredecim annos iteratis, vt tandem exhausto toto Regno amplius modus eius parandæ non inueniretur; Nobilitas tot expeditionibus fatigata militiam detractaret, & iam de reddenda Crucigeris, amplas pacis conditiones offerentibus, atque relinquenda Prusia cogitaretur, actumque fuisset, *nisi Prussorum* (verba sunt Cromeri) *Legatio commodum adueniens, orasset Regem, ne se in fidem susceptos, immanibus Cruciferis, ad exquisitos cruciatus, & in teterrimam seruitutem proderet*: adeóque in gratiam eorum ipsa sacra templa & aras inuadere, & denudare necessum fuerit, ac Archiepiscopatus Gne-

tus Gnesnensis, Episcopatus Posnaniensis atque Vladislauiensis, suorum templorum aurea & argentea vasa statuas, calices & cruces, Regum, Pontificum, Principum, cæterorumque Christi fidelium diuino cu tui dicata dona, in vsum & stipendium Prutenæ militiæ conflarint; *singulis, vt* ait Dlugossus, *vtriusq; sexus fidelibus, nudationem huiusmodi non tam quærelis & vocibus, quàm lacrymis prosequentibus.* hoc solo discrimine, quod pro commodata pecunia remunerationis & solutionis *loco, primùm molendina post omnia in insula bona, quæ hoc tempore duo millia lanceorum continent, tum plurimæ villæ in Neringa, & in montanis locis villæ, circiter 75. Regiâ sunt Gedanensibus munificentiâ donatæ;* ad Ecclesiam verò Gnesnensem, aut Posnaniensem & alias, ne obolus quidem redierit. Iam hinc metiaris, quàm procul sese extendant tua ista remunerationis Priuilegia, ne toties *pactis contractibus ac reciprocis obligationibus*, nescio qualibus à te confictis Lectori risum propines.

Et hæc nunc satis sint, ad Responsionem tuam, minutiora quædam in ea non sum persecutus, non ideò tamen me ea concessisse tacendo, sed negligendo contempsisse existimes. veluti vt aliquid exempli causa ostendam, dubium illud tuum de Ioanne Dantisco, in cuius laudibus Aurimontanus recensuerat eum à Carolo V. Imperatore in Hispaniam ituro, præ omnibus alijs Legatis Comitem itineris assumptum fuisse,

tu verò

tu verò eo tempore eum iam è viuis excesisse ais? facile tibi mi Patrici, si tanti æstimarem ostendere, inquam, potuissem, ex ipsis literis Ioannis Dantisci ad Regẽ scriptis, aut si Dantisci fidem, quia Pręsul Romano Catholicæ fuit Ecclesiæ, in dubium vocasses, ex ipsa luce Lutheranæ fidei testes coegissem, veluti Philippũ Camerarium Iuris Consultum, & Reipub. Noriæ Consil. qui in Opere suo Meditationum Historicarum Centuria 3. cap: 68. hæc verba habet.

Ioannes Dantiscus, Sigismundi I. huius nominis Poloniæ Regis Legatus, ob eruditionem & ingenij elegantiam, in tanta fuit authoritate apud Carolum V. Imperatorem, vt cùm is resignato Imperio, & dimissis omnibus externis Legatis, ex Belgio in Hispaniam nauigasset, eum solùm Comitem secum duxerit, quem etiam postea maximis honoribus auxit, eũq; in numerum & ordinem Nobilitatis Hispaniæ, cum toto suo genere & agnatione inseruit. Quod sanè præsertim in illa gente, exteris non admodum in participanda Nobilitate beneuola rarum.

Adduxissem & Thomam Lansium, aut consultationẽ ipsius, de Principatu inter Prouincias Europæ, in qua simillima: *Ioannis Dantisci, Sigismundi I. Poloniæ Legati doctrina & vis ingenij,* (agnoscis credo, verba tibi non ignoti authoris) *ita Imperatoris Caroli animum subegit & occupauit, vt is cum abdicatis Imperij sceptris, dimissis omnibus externis Legatis, ex Belgio in Hispaniam vela faceret, solum Dantiscum Comitem secum duxerit.* Hoc tamen te iussissem notare, vbi Camerarius dicit: *resignato imperio,* & Lansij consultatio, *abdicatis imperij sceptris,* Aurimontanum tantum asseruisse, eo tempore Carolum V. diadema, necdum deposuisse sed positurum. Eodem modo de alijs cogitabis, si quę fortè omissa aduer-

tes;aduertere autẽ vix poteris,niſi minutiora & reſponſione haud digna. Cæterùm etiam mitiùs & clementiùs tecum agi, quàm Reſponſionis tuæ ferocia requirebat, partim quod mihi imaginatus fuerim, te non omnino peruerſo animo, ſed rudi pietate quadam & piâ ignoratione impegiſſe, cùm toties forum conſcientiæ, & vtriuſq; ſæculi tribunalia appelles. quanquam ſolummodò pietatis apud te multum, fidei & ſpei parum aduertam; cùm diffiſus ingenio & ſcripto tuo, illud non ſatis roboris habiturum crediderìs, niſi ſubinde conuicijs exornaretur: partim, quod cùm non omnibus detur adire Corinthum, ideoq; non Italicis imbutum artibus ingenium, ſed calamum cereuiſiâ tinctum, commiſeratione magis quàm vindictâ dignum cenſuerim. Quidquid ſit, mi Iuſte, longè prudentiùs Anonymus Reſcriptor, ad Epiſtolã reſpondit quiſquis tandem ille, dum potiùs ad Grammaticorum pueriles diſceptationes, ad iocos etiam non ſatis virum decentes Aulicorum, & ad quæuis alia expatiari maluit, & digredi, quã ad ea, ad quæ tu imprudenter & magna vi reſcribentem calamum duxiſti. Si tamen is tibi animus adhuc prurit, & plura quærere voles ſcireque, libenter nutui tuo mea tenuitas obtemperabit, dummodò modeſtius quæſiueris, & te aliquid profeciſſe aduertero; aliàs ſi ita perrexeris, me quidem forte à ſcribendo abſterrebis, verùm facilè aliquem inueneris, qui Styli moderationem tui modeſtiamque, qua impoſterum vſus fueris, imitatione exprimere conetur.

CON-

CONSTANTIS SINCERI
Spongia Remiſſa.

DVM Defenſionem pro Aurimontano ſcriptam ad prælum mittere paro. Ecce tibi Spongia quædam *Conſtantis Sinceri* contra Aurimontanum ſeſe oſtentat, quæ quidem, ſi diem aut tempus quo Gedano ſoluit, ambiguè nec *ſincerè* ſcriptum, *conſtãter* accipiamus, vnà cum *anno 1638.* exiuit, etſi demum initio Aprilis altero Anno, Cracouiam adnatauit, alicubi tamen in viciniore Polonia, in decurſu Martij viſa dicitur. tantæ moræ cauſam habet æquiſſimam: hæſit enim ſub glacie congelatæ Viſtulæ expectans ſolutionem, &, quia aduerſo flumine eundum fuit, etiam beneuolentiam ventorum. Noui ab alijs duobus non allatum, nouaq́; proinde dignum reſponſione vix aliquid adfert. Quæ hallucinantis Collegæ calamus, circa libertatem macularat, ea paululum hæc non tantum *patrocinium*, ſed & *dominium* agnoſcens, Spongia aliquatenus abſtergere nititur. Pręter locos communes, quos ex Poetis, Ouidio, Douſa, Seneca, & Ariſtot. Philoſopho bibit, etiam Iuriſconſultorum (vt vnde miſſa ſit agnoſcas) *Codices* tranſiuit, & imprimis Iauoleni verba *ex l. beneficium. ff. de conſtit. Principum* imbibit, nimirum *Beneficia quam pleniſſimè eſſe interpretanda:* ſed fortè quia totiam Poetarum & Philoſophorum impleta & ebria ſucco, non *quam pleniſſimè* legem exhauſit, nam in fundo gloſſas reliquit, quarum prima eiuſdem legis *Beneficium Principis in alterius iniuriam pleniſſimè interpretari non oportet.* altera *Priuilegia ita interpretari oportet, vt non tollant ius commune,* ſed & *capit. Cum dilect. de donation.* pertranſijt, verbaque Innocentij Tertij, quod *in contractibus plena, in teſtamentis plenior, in beneficijs pleniſſima ſit adhibenda interpretatio.* Verùm quoniam Spongia ex Priuilegio habet nihil horum quæ imbibit, diſtinguere; neque Beneficium à Priuilegio diſtinxit, exemplo Iuriſconſultorum ea quandoque confundentium inultata. At nec

attigit legem illam: *Priuilegium strictè interpretandum, si sit in praiudicium Reipublicæ, tangatq́ bonum publicum. l. Si quando. C. de operibus publicis,* nec aliam: *Priuilegium generaliter indultum non includit casum publicæ vtilitati contrarium, etsi includeret non valeret. l. iubemus nullam.* & ibi Baldus *in princ. C. de Sacros. Eccl.* Ad Socinum etiam non est deuoluta, Regulam iuris ampliantem, quod nempè adeo *strictè sint interpretanda Priuilegia, vt etiam verba improprientur ad hoc, vt mitiùs lædant ius commune, l. Si quando. in princ. C. de Offic. test.* vnde si quid super flumina & aquas conceditur, an id idcircò mox extendi quoque ad maria debeat, quantumuis ea ex butyro non constent, nec hoc Spongia hausit. Quocirca quia vix quidpiam noui, aut confutatione dignum imbibit, ad hæc quia ad Epistolam Aurimontani missa venit, non Epistola sed Spongia, eaque non polita sed polluta, non responso eget sed aquâ. Ea de causa eandem HEîC minime detinendo, secundo flumine Gedanum per Vistulam remittimus, vt ibidem in Oceano Balthico, vocatis in auxilium vtroque Habo, & omnibus fluminibus Prussiæ, in tanta totque aquarum CONFLVGE, accuratè eluatur, àque *scholari atramento*, quo plurimum & vehementer infecta est emundetur: vbi purior reuersa fuerit, & aliquid ex ea melioris succi exprimi poterit, calamo id meo excipere non grauabor. Si cuipiam id tardum videbitur, sciatis, nullum periculum in mora futurum, neque enim erit intempestiuum, si Spongia cum apprecatione noui anni in *Martio* emissa, Gratiarum actionem in *Decembri* reportet.

Errata Typografica quæ ob abſentiam Authoris irrepſerunt.

Folio	9	℣	1	veteris	lege	verteris
	eodem	℣	5	veteris	l.	verteris
	eodem	℣	*vltimo*	hac	l.	hæc
	12	℣	5	*à fine* tamen	l.	tantum
	21	℣	21	ripe Viſtulæ	l.	ripa Viſtulæ
	eodẽ	℣	6	*à fine* Emporeo	l.	Emporio
	26	℣	4	imperem	l.	imparem
	28	℣	14	quod	l.	quid
	36	℣	8	*à fine* Priuilegiā	l.	Priuilegij
	40	℣	4	*à fine* diuerſa	l.	diſerta
	42	℣	4	occaſionem	l.	occaſione
	eodẽ	℣	13	Domino	l.	Dominio
	43	℣	4	*à fine* ſententiæ	l.	ſententia
	45	℣	8	ſubiſſet	l.	ſubeſſet
	47	℣	6	imperaturum	l.	impetraturum
	49	℣	3	Marchionij	l.	Marchionis